





DISSERTATIO INAVGVRALIS IVRIDICA,  
DE  
EFFECTV IVRISIVRANDI PROMISSORII, <sup>61.</sup> 21  
PRAECIPVE  
RENVNCIATIONIBVS BENEFICIORVM  
ADIECTI.

---

---

1789, 7.  
QVAM,  
IN ACADEMIA PATRIA ROSTOCHIENSI,  
ILLVSTRIS  
IVRECONSULTORVM ORDINIS CONSENSV,  
SVMMOS IN VTROQVE IVRE HONORES AMBIENS,  
ERVEDITORVM EXAMINI SVBMITTIT,  
PVBCICEQVE DEFENDIT,

D. XVIII. SEPTEMBER. MDCCLXXXIX.

HORA NONA ANTEMERIDIANA

AVCTOR

FRIEDERICVS GOTTLIEB IVLIVS BVRCHARD,

ROSTOCHIO - MEGAPOLITANVS.



---

ROSTOCHII,

TYPIS ADLERIANIS.



DISSERTATIO IN IURISPRUDENTIA IURIDICA

DE

EFFICACIA IURIS IURANDI PROMISSORII

PRÆCIPUE

RENUNCIATIONIBUS BENEFICIORUM

ADIECTI

QUAM

IN ACADEMIA PATRIA ROSTOCKIENSIS

ILLUSTRIS

UNIVERSITATIS ORDINIS CONSENSU

ET SUMMO IN VIROBO PUBLICO HONORE AMPLISSIMO

EXAMINIS SUBMISIT

FRIDERICUS GOTTLIEB

DE ROSTOCKO

ANNO DOMINI MDCCLXXXIII

AUCTOR

FRIDERICUS GOTTLIEB IULIUS BURCHARD

ROSTOCKIENSIS



ROSTOCKIENSIS

ANNO DOMINI MDCCLXXXIII







**S**i qua umquam est doctrina, non solum ob infirmitatem eius in republica effectum; sed etiam ob errores tenebrasque, quibus est obumbrata, meditatione, exploratione et illustratione digna, sane est haec, quam exercitationi subtrahi. Si elaboratam eam in praeteritis temporibus quaerimus, ubique superstitione et peruerfa religione impleta principia nobis occurrunt. Nostris primo temporibus adfuerunt viri, qui acerrime ea impugnaverunt, atque destruere ausi sunt <sup>a)</sup>. Vix conatus essem, talibus laboribus

<sup>a)</sup> Heic allego praecipuos. *LYNKER de iurisiurandi inualiditate, Ien. 1688.*

*LYDOVICI de genuino intellectu brocardici vulgaris; omne iuramentum, quod salua salute aeterna seruari potest, est seruandum, Halae 1706.*

*LYRER de abusu iuramentorum e republica proseribendo, Goetting. 1741.*



laboribus etiam meum addere, numerumque eorum auge-  
re, nisi animaduertissem, me ab omnibus tum in fundanda,  
quum in elaboranda hac materia decedere, et nisi spera-  
rem, nonnulla quidem efficere, ad vim iuramenti promif-  
sionis limitandam, atque, quoad fieri potest, e republica  
proscribendam.

---

MALBLANC doctrina de iureiurando, Norimb. 1781.


SCHNEIDT vom Eyde nach dem Gesichtspunkte der gesetzge-  
benden Klugheit, Würzburg 1785.

SCHÖRCHT von der Ungültigkeit des Eydes bey ungültigen  
Verträgen, Iena 1786.

WEBER von der natürlichen Verbindlichkeit, Abtheil. III.  
§. 119. 599.







§. I.

*Doctrina consideratur iure naturae.*



Solemnis prouocatio Dei, testis veritatis, iure naturae nullum nouum ius, nullam nouam obligationem producit, interne modo promittentem acrius stringit, ad officii sui satisfaciendum <sup>a)</sup>, ne, promissum negligens, simul fidem humanam laedat, simul Deum offendat. Sed non praebet ei, cui iuratur, ius cogendi, quo antea non gauderet, neque unquam efficit, vt, si negotio iure ciuili illicito adiciatur, negotium reddat validum, alterique ius ex eo proficiscatur. Ex erroneo modo

<sup>a)</sup> HOEFFNER *Naturrecht*, §. 104.



modo superstitiosisque fontibus iuris naturae cultores hauserunt sententiam, iureiurando cum Deo negotium iniri, cui doctrinam de obligatione iurisiurandi inaedificaverunt *b)*. Sed iam derelicta est haec thesis, cuius falsitas ex ipsa natura ac indole doctrinae, *prae* *vit*as ex nocivis eius consequentiis apparebat. Iuramentum modo tunc effectu gaudere potest, si iam antea ex promisso obligatio orta fuit, si non, iurando nil agitur.

## §. II.

### *Iure Germano antiquo.*

Germani rarissimum iurisiurandi usum cognoverunt. Specie, quam hodie purgatorium vocamus, usi sunt, sed hoc iuramentum forsitan ordinalibus tunc temporis annumerandum esse, censo, atque ex influxu Dei immediato originem traxisse. Iuramentum promissorium illis fuit plane incognitum *a)*. Illorum bona fides tam fuit trita, quam mala Graecorum *b)*. Verba illis videbantur superflua, ad confirmandam animi factorumque sinceritatem. Iure romano canonicoque recepto, demum principia huius iurisiurandi speciei illis tradebantur.

## §. III.

*b)* Hanc thesin defendit cum innumeris illius aevi scriptoribus GROTIUS in *iure belli et pacis*, Lib. II. Cap. XIII. §. XIV. Contra hunc vide MOSES MENDELSSOHN *über religiöse Macht und Judenthum*, Seit. 70. WEBER *von der natürlichen Verbindlichkeit*, Abth. III. §. 119.

*a)* MALBLANC *doctrina de iureiur.* §. CXXV.

*b)* TACITUS de *M. G.* cap. XXII.



§. III.

*Iure Romano.*

Ipsi Romani iuramentum obiectis pravarum cautelarum annumerare noluerunt, sed sequuti sunt potius vestigia iuris naturae. Ideo iuramentum promissorium negotiis adiectum nonam obligationem non producere, sed potius naturam negotii principalis sequi, in licito, validoque nihil obligationis addere, cum illicito invalidoque vna correre, tutissime possumus asseuerare. Nulla enim lege regulam iuris naturae derogatam inuenimus a). Iam hoc nobis ad fundandum nostrum principium sufficeret, sed inuenimus adhuc multas leges, quae diserte nostrae sententiae adsentiunt. Decernit ius romanum: nullum pactum a iure communi remotum, licet iuramento confirmatum, valere b). Decernit: iusiurandum, contra vim legum et auctoritatem iuris in testamento scriptum, nullius esse momenti c).

§. IV.

- a) Nec obstat *Auth. decernit C. de recept. conj. cum Nov. LXXXII. cap. XI.* Interdictum heic est, ne arbitri assumantur ea conditione, vt partes ab eorum laudo non decedere, iurent. Sed non est lata haec lex, quia antea ex iuramento noua proficiscabatur obligatio, sed vt ipsa Novella docet: „ne in periculum inuitum incidant homines, propter iudicum ignorantiam peierare compulsi.“
- b) *l. 5. C. de LL. l. 7. §. 16. D. de pactis.* Huius legis iustam lectionem defendit *CVIACIUS in Obs. et Emend. Lib. I. cap. XXIV.*
- c) *l. 112. §. f. D. de leg. 1.* Huic addo sapientissimam illam constitutionem in *l. 41. C. de transact.* Primo intuitu haec lex sententiae nostrae contradicere videtur. Tenor legis hic est: Si quis credit, A 2 contra





## §. IV.

### Exceptiones.

Haec est regula iuris Romani. Sed non in eorum sententiam descendere possum, qui nimis anxie rem tractare, eiusque nullas dari exceptiones, affirmare, cupiunt. Si absque vilo praedicio, neque amore nostrae sententiae praecoccupati rem perpendimus, profecto adfunt quaedam exceptiones ex praestantissimis rationibus a legislatore exemptae.

1) Praecipue mihi hic videtur allegatione dignum, iuramentum contractibus minorum adiectum, ab ALEXANDRO Imperatore constitutum in *l. 1. C. si adu vend.*, amplificatum vero a FRIDERICO I. Imperatore in *Auth. sacramenta puberum C. eod.* de cuius iuramenti indole atque usu infra pluribus agam. (§. XVIII. et XIX.)

2) Iusiurandum, patrono a liberto praestitum, de operis, munere aut dono erogando, *l. 7. pr. §. 1. 2. 3. D. de op. lib.*

Nititur contra pactum vel transactionem esse veniendum, iuramentum vero addit, ius impugnandi amittit. Si impugnat, notatur infamia, actione priuatur, ad poenam pactis insertam condemnatur, atque caret rerum proprietate, emolumentoque, ex illo pacto consequuto. Inter contrahentes ergo haec nulla noua oritur obligatio, nec vllum nouum ius, sed poena in perjurum. Alter alterum non cogere potest ad satisfaciendum promisso iurato, sed si non satisfacit ei, illis poenis afficitur. Sapientissima haec est lex, genioque iuris Romani adaequata, quae simul nouam obligationem, ex iuramento oriendam, simul periurium impedit.



Nititur haec lex officiis libertorum, atque magno libertatis beneficio, quod a patrono in eos proficiscebatur a).

3) Cautiones iuratoriae. Sed quum hae ad nostrum finem haud pertinent, compromitto ad MALBLANC cit. §. LXXXIII.

§. V.

Iure Canonico.

a) Principia eius de iureiurando promissorio considerantur.

Sic ius romanum, Terribilem vero in hac doctrina excussio- nem fecerunt ius canonicum, decretistarumque nugae, Pontificum constitutiones ad commodum ecclesiae Romanae impudico modo interpretantium. Ius pontificium iuri romano multos addidit casus, vbi iuramentum nouam produceret obligationem, atque legibus rationes cerebrina aequitate efflatas inseruit. Inter multa alia dicta haec praecipue nomino notissima illa capitula,

cap. 28. X. de iureiur.  
cap. 2. de pact. in 6to.

quia ansam maxime praebuerunt, doctrinam de iureiurando prae- stantem viam iuris Romani deseruisse, atque in malignissimis deuiis errasse. Interpretes enim ex rationibus, his constitutionibus adie- ctis,

a) Coniungas l. 13. pr. D. de accept. l. ult. D. de lib. causa. Sed modo ad liberti personam restrictum est, l. 56. D. de fidej. atque stri- ctissime interpretandum, vt et aliae leges, quae eadem ratione nituntur, v. c. l. 8. C. de reuoc. don.





dis, suppeditante illis regula: ubi eadem ratio, ibi eadem legis dispositio, conglutinarunt dogma illud terribilimum: *omne iuramentum est seruandum*; quod salua salute aeterna seruari potest, dogma, quod in generalem constitutionem transformare, eique vim legis tribuere, ipsa Pontificum audacia erubuit. Attamen fouerunt Pontifices hanc thesin, Hierarchiae optatissimam, et sic orta est regula iuris canonici generalis, in medio aeuo, vsque ad nostra tempora, fere ab omnibus cathedris docta: iusiurandum nouam producere obligationem.

### §. VI.

b) *Ius canonicum est deserendum.*

α) *Quia falsis nititur principiis.*

Sed nunc mouetur quaestio: quatenus ius canonicum in doctrina de obligatione iurisiurandi promissorii, nobis sit normae? Non dubitarunt iuris doctores aliis iuris canonici doctrinis decedere, si religioni protestantium nociuas crediderunt. Sed in substrata materia, etsi iniquitas eius luce meridiana clarior apparet, eius vestigia relinquere abhorrent. Ipsi praestantiam iuris romani in hac doctrina in foro protestantium agnoscunt, nihilo tamen minus dictis iuris canonici arrident, eius principia gemunt α), sed, nescio, qua religione ducti, iis adhaerent. Sed non est, quod eos sequamur, neque ius canonicum derogare, malimus. Rationes mei asserti pluribus recensebo.

1) *Ius*

α) Inter complures allego I. H. BOERMER I. E. P. Lib. II, cap. 24.



1) Ius canonicum in doctrina de iureiurando falsis nititur principii. Ardor fuit Pontificum, ruinis iuris Romani eorum placita inaedificare, illud praecipuum Imperatorum fulcimen destruere, atque suis ipsorum constitutionibus orbem terrarum subiicere. Cui conatui doctrina de noua iurisiurandi obligatione maximo vsui esse potuit. Affirmauit ecclesia romana, iuramento Deo ius acquiri, de quo modo ei, qui loco Dei regnauit, disponere liceret. Hinc inde iuramenta, omniaque illis annexa, foro seculari exinebantur, atque foro ecclesiastico subiiciebantur. Optatissima haec fuit occasio ad amplificandum hoc forum, et contractus transactionesque totius orbis illorum decisioni subdendos b), ita ut et vinculum et relaxatio iuramenti ab eorum arbitrio dependeret. Haec sunt principia, quae nobis in quibuscumque Pontificum constitutionibus occurrunt. Ratio semper est incrementum Hierarchiae romanae. Cessat nunc ratio, cur itaque doctrinam retinemus? Cur vinculis illius liberi hoc onere adhuc grauati progredimur? c)

### §. VII.

β) *Ob effectum huius dogmatis infelicissimum.*

2) Effectus illius dogmatis in republica porro est infelicissimus. Ius canonicum subtilia iuris romani vincula non soluit, sed percindit. Sapientissimae enim leges derisui inferuunt, si actus priuatorum ipsa lege potentiores euadunt. Minores, filii familias,

b) *Cap. 34. X. de elect. cap. 8. X. de arb. cap. 13. X. de iud. cap. 32. de foro comp. in 610.*

c) *AYRER de abusu iuram. in rep. proscribendo, §. XXXIII. seq. MALBLANC cit. §. CXX.*



mulieres, aliaeque personae, quibus ob imbecillitatem aetatis, vel sexus, vel ob aliam providentiam legis, contrahere non licuit, doli atque rapinae obiecta fiunt. Iuramentum est cautela foenoris, atque, si Deus inuocatur testis iniuriarum, dolus et rapina vim legis accipiunt.

### §. VIII.

γ) *Ob monita, iam pridem de eo facta.*

3) Accedit praeterea ad iam relata, ab Imperatoribus, imo a tota Germania, principia haec iuris canonici saepe fuisse reprobata. Inuenimus iam Bonifacium VIII. Pontificem indignantem, iudices seculares constitutionem INNOCENTII III. neglexisse, eumque repetentem textum *cap. 28. X. de iureiur.*, ad quod seruandum iudices censura ecclesiastica compellendi essent a). Videmus, in medio aeuo, tot pacta Imperatorum cum Pontificibus, quae, licet iurata, Imperatores, Pontificum furori elapsi, neglexerunt b). Audimus, totam nationem Germanicam lugentem, constitutionibusque Pontificum de iureiurando resistentem c). Legimus, multas gentes in hac doctrina statim a iure canonico recessisse, atque iuramentum negotiis adiectum, sub poena nullitatis negotii interdixisse d).

### §. IX.

a) *Cap. 1. de iureiur. in 6to.* BONIFACIUS hanc constitutionem edidit anno 1298. INNOCENTII VERO iam lata est anno forsan 1206. Huic ergo nondum contigerat, ius Romanum excutere.

b) Exempla inuenies apud SCHORCHT *von der Ungültigkeit der Eyde bey vngültigen Verträgen*, Iena 1786. §. IX.

c) *In gratianibus nationis Germanicae, Graua. LXIV.*

d) Exempla vide apud SCHORCHT *c. 1. §. VII. in fin.* DOMAT *les lois ciuiles dans leur ordre naturel*, *Tit. des preuves et presomptions* qui exemplum Galliae allegat.



---

§. IX.

3) *Conclusiones ex praemissis  
rationibus.*

Consideratis tali modo rationibus, non possum, quin eorum castra sequar, qui doceant, ius canonicum in hac doctrina, nostrae conscientiae religionique contrarium e foris protestantium esse pro- scribendum a). Ex iam relatis enim colligerem: regulam iuris romani, iusiurandum non novam producere obligationem, sed naturam negotii praemissi sequi, manere illabefactam. Illud vero Brocardicon foedissimum interpretum iuris canonici: omne iura- mentum est servandum, quod salva salute aeterna servari potest, nihil ad nos referre, credo. Neque constitutiones iuris peregrini, ex quibus perverfa Pontificum principia elucescunt, a nobis aesti- mandas esse, censeo. Quod reliquum est, generaliter reiicerem sententiam: iuramentum defectui vel aetatis, vel consensus, vel solemnitatis, vel aliorum validi negotii requisitorum suppedi- tare b)

§. X.

a) Heic allego. AYRER c. l. §. XXXIII. SCHORCHT c. l. §. XIX, MALBLANC c. l. §. CXX. WEBER c. l. §. CXXIII. THOMASII *Inst. iurispr. div. Lib. II. cap. IX. §. XIV.*

b) Tunc etiam omnes ICtorum distinctiones inter negotium in fauorem agentis et absolute inuvalidum, simul cum doctrina de tribus comi- tibus iurisiurandi, quae omnia magis implicant, quam explicant, in totum corrucere, apparet.



## §. X.

*Generatim de iuratis beneficiorum  
renunciationibus.*

Ea, quae iam retuli, nunc me ducunt, ad practicam doctrinae, quam mihi proposui, partem. Perferendum enim mihi est, quid efficiat iusiurandum, renunciationibus beneficiorum adiectum.

Regulariter quisque iuri suo renunciare potest *a)*, atque unicuique licet, contemnere ea, quae pro se sunt introducta *b)*, nisi renunciatio vergat in alterius praecudium *c)*, vel legibus est contraria *d)*. Quibusdam vero personis ex sapienti legum providentia beneficia sunt tributa, quibus renunciare, haud statim licet. Quid iuramentum efficiat, tum illis, tum his renunciationibus adiectum, pluribus disquiram.

## §. XI.

1) *Licitis.*

Iuramentum renunciationibus beneficiorum licitis additum, numquam iis maiorem tribuit vim, neque unquam auget obligationem, antea existentem. Iam ex rationibus supra illustratis hoc fecerit, ubi, iuramentum obligationis nihil addere, probatum iam est, atque nugarum speciem praese ferret, multa de his  
facere

*a)* l. 29. C. de pact.

*b)* l. 11. D. de minor.

*c)* Hec iuramentum ipsius iuris canonici proloquutione effectum est destitutum, cap. 28. X. de iureiur.

*d)* l. 5. C. de LL.



facere verba, nisi Doctores semper studuissent, vim iuramenti au-  
gere, atque iureiurando adhuc alium tribuissent effectum.

## §. XII.

### a) Num iuramentum sit loco renunciationis?

1) Voluerunt, vt si negotium iuramento confirmatum esset,  
eo ipso omnibus beneficiis esset renunciatum.

Qui huic sententiae adfuerunt, principio inhaerent, iura-  
mentum semper aliquid addere. Secundum nostra vero principia  
iuramentum obligationis civilis nihil addit, et modo interne pro-  
mittentem fortius tenet. Sed heic etiam internis animi obligatio-  
nibus satisfacere posse, censeo. a) Si negotium iuramento con-  
firmo, alterum contrahentem securiorem reddere cupio, sed am-  
plius, strictissima iurisiurandi interpretatione, me non obligo.  
Beneficia, quae ius, vel factum contrahentis mihi tribuit, immu-  
tata mihi manent. Nam vel mihi incognita sunt, tunc ad haud  
cogitata secundum ipsam iuris canonici pronuntiationem b), non  
trahendum est iuramentum, vel mihi beneficia haud latent, tunc  
tamen ad plura, quam promisi, haud sum obligatus. Diserte  
huic adfuit ius romanum in *l. f. C. de N. N. P.* respectu exce-  
ptionis non numeratae pecuniae. „Indubitati,“ ait, „est iuris, non  
numeratae pecuniae exceptionem locum habere et in talibus nomi-  
nibus,

a) Adfuit LYDOVICI *Diff. de Brocardici genuino intell. omne iura-  
mentum pp. §. XXIV. XXV.*

b) Cap. 20, X, de iureiur.



„nibus, vel foeneratitiis, vel aliis cautionibus, quae etiam sacramenti habent mentionem c).“

### §. XIII.

#### *Num in fideiussione?*

Praecipue vero vrgetur quaestio in fideiussione, num fideiussor, fideiussione iurata beneficio excussionis renunciarit? Sed et hoc nego, pernegoque a), etsi reuera adsunt, qui ei adhaerent b). Non solum heic antecedentes rationes mihi suppeditant, sed accedunt nouae, intercessionis naturae conuenientes. Fideiussor modo accessorie obligatur ea conditione, si debitor principalis soluere nequit. Huic obligationi accessoriae modo iuramentum adiicit, et iurat: *se soluturum, si alter non sit soluendo*. Pleno iure ergo tenere

e) Non solum de iuramento contractui chirographario adiecto hoc crediderunt Icti, sed etiam de multis aliis contractibus. Sic fingebant in locatione conductione, si res alicui sub iuramenti cautione ad certum tempus locata esset, iuramentum heic esse loco tacitae hypothecae, ita vt urgente necessitate locator beneficio expulsionis non gauderet, eique per adiectum iusiurandum renunciasse censetur. Credit hoc STRYCK in *V. M. tit. in quibus caus. pign. l. hyp. tac. contr. §. III.* etsi negat, iuramentum mutuo additum excludere exceptionem non numeratae pecuniae. STRYCK de *C. C. Sect. II. cap. VII. §. XI.* Sed nullibi video differentiam, et locatorem hoc casu beneficio suo priuari posse, non existimo.

a) Plerique adsentiant, e. g. LVDOVICI *l. c. §. XXVII.* STRYCK de *benef. excussionis, cap. II. n. XII. XIII.* LAVTERBACH in *coll. tb. pr. ad tit. ff. de fideiuss. et mand. §. XXXV.*

b) MOELLER *semestria, Lib. I. cap. XVI. n. I. §.*



tenere potest creditorem, ut prior excutiat debitor principalis, nam ante eius excussionem regulariter fideiussori nulla solutio inest obligatio c).

#### §. XIV.

b) Num renunciatio beneficiorum generalis, singula specialia beneficia contineat?

Progredimur ad alteram quaestionem:

2) Si generaliter omnibus beneficiis est iurato renunciatum, num haec renunciatio ad singula beneficia specialia sit extendenda? A pluribus iam est explicatum, generalem beneficiorum renunciationem non sufficere a), quorum vestigia et ego sequor. Beneficia nostra nobis forsan latent, ergo verus consensus deficit, iis renunciandi, forsan etiam sunt futura, quorum existentiam numquam expectare poteramus, simul semper dolo prospicitur b). Sed credunt, iuramentum sanare haec vulnera. Illis adfentire nequeo. Num iuramentum nos de incognitis, de futuris certiores facere potest? Rationes manent, manet ergo et principium c). Creditur adeo, si generaliter renunciatum beneficiis et iuramento cautum est, tunc etiam cessare beneficium *ex l. 2. C. de resc. E. V.*

c) *Auth. praesente C. de fid. et mand. Nou. IV. cap. I.*

a) *STRYCK de C. C. Sect. I. cap. V. §. II.*

b) *Alleganda ad huc l. 4 §. 4 si quis caut.*

c) Clausulam ergo generalem specialibus quibusdam renunciationibus beneficiorum adiectam ex iam allegatis rationibus, otiosam reiectem, illi vero Regulae Praxeos: quod renunciatio generalis non valeat, nisi praecesserit specialis, renunciare, superfluum et ineptum, censet.



Sed illius natura docet, eam modo illis prospicere, qui tempore conditi contractus, vitia rei enormia ignorarunt, contractu vero iam perfecto, laesionem animaduerterunt. Renunciatio haec ad incognita extenderetur, et ad ea nemo obligatur (*vid. §. XII, b.*)

### §. XV.

c) *Num iuramentum sit loco certiorationis?*

3) Sunt denique, qui putant, in renunciationibus iuratis, non necesse esse, iurantem de beneficiis, quibus renunciat, certio- rem facere. Praecipue heic notatu dignum exemplum feminae fideiu- bentis, quae SCto Velleiano iurato renunciat. Creditor heic, *iura- mentum esse loco certiorationis*. Feminam renunciare posse huic beneficio muliebri, pro extraneo (non vero marito) intercedentem, apparet ex *l. f. §. 4. ad SCtum Vellej.* Modo necesse est, ne argu- tiis validioris sexus subiciat, vt de beneficio illi competente certio- retur a). Si hoc factum est, iuramenti non indiget, idque est prorsus inane b). Si vero femina de suis beneficiis non est certior facta, iuramentum nihil efficere potest, nam beneficio renunciaret, cuius pretium illi lateret, simulque ad incognita teneretur.

### §. XVI.

a) *Ordo Noz. Maxim. I. de anno 1512. §. XIV. BOEHMER I. E. P. Lib. II. Tit. XXIV. §. XLVIII.*

b) *Aurb. sacramentum quidem C. quando mulier tutel. offic. iusiuranda inuile esse, ait.*



---



---

 §. XVI.

 2) *De iuratis beneficiorum renunciationibus a iure reprobatis.*

 a) *Renunciatio auth. si qua mulier.*

Ad renunciaciones a iure reprobatas procedo, iisque an-  
numero

1) Renunciacionem *auth. si qua mulier a)*, in intercessione vxoris pro marito. Consentiant plerique Doctorum renunciacionem huius beneficii nudam non valere *b)*, quod etiam ipsa *auth.* verba docent. Sed multi volunt *c)*, vt, si vxor iuramento beneficio renunciat, tunc obligetur. Sed hoc affirmare nequeo. Tributum est hoc beneficium vxori, ne qua sexus imbecillitate, atque blanditiis mariti, thorique subducta omnia bona marito immolaret, atque denique eius fraude ad incitas redigeretur. Iuramentum haec vitia emendare nequit, quum eadem blanditiae, quae vxorem ad intercessionem pro marito ducerent, ad renunciacionem beneficii, et quae ad renunciacionem ad iusiurandum ducere possent. Effectus authenticae saluberrimus euanesceret, et lex argutiis ICtorum cederet.

## §. XVII.

a) *Auth. si qua mulier C. ad SCs. Vellej. conj. cum Nov. CXXXIV cap. VIII.*

b) *STRYCK de C. C. Sect. II. cap. VI. §. IV.*

c) *STRYCK l. c.*



---

 §. XVII.

 b) *Renunciatio SCti Macedoniani.*

2) Porro heic consideranda videtur renunciatio SCti Macedoniani a filio familias facta.

Plures iam adsunt ICTi, qui huic iuramento omne vinculum denegant a). SCTum enim Macedonianum tam ad vtilitatem filii familias est latum, quam prospicit patri familias, reique publicae. Constitutum est, vt foeneratores coerceantur, ne filiis familias pecuniam ad luxuriam darent.

„Melius enim esse,“ duxerunt, „coarctare iuueniles calores, ne cupidini dediti, tristem exitum sentiant, qui eos post dispersum expectat patrimonium b).“ Heic ergo filius familias renunciaret iuri, quod non solum ad suum ipsius commodum, sed praecipue ad patris emolumentum constitutum est, nedum totius reipublicae interesset, ex diuitibus pauperes euadere, ad quod accedit, pecuniam saepe eorum lasciuiae inferuire, et mutuum filii familias primo ad vitia, deinde aere alieno obrutis ad delicta occasionem praebere posse c). Ex quibus colligo, renunciationem huius beneficii, arbitrio potestatique filii familias mutuantis non permittendam esse, et hoc iuramentum iam vt vinculum iniquitatis reiiciendum.

## §. XVIII.

a) Multos allegat LAUTERBACH coll. rb. pr. tit. ff. ad SC. Maced. §. XXVII.

Differtit STRYCK C. C. Sect. II. cap. I. §. XV.

b) l. f. §. 5. in f. C. de bon. quae liber.

c) §. 7. I. quod cum eo, qui in al. pot.



## §. XVIII.

c) De renunciationibus beneficiorum minorum iuratis.

e) Secundum l. 1. C. si adv. vend.

3) Denique contractus minorum illustrare nos oportet, atque ostendere, quid heic iusiurandum, vel renunciationi restitutionis in integrum, vel contractui ipsi adiectum efficiat?

Ipsa iure Romano hoc beneficium restitutionis iureiurando aliquo saltem modo destruitur in l. 1. C. si adv. vend. Attamen legislator effectum iusiurandi valde restrinxit, adeo, ut modo ad perpauca, eaque iustissima exempla lex fuerit applicanda. Requiritur enim, si iuramentum vi gaudere possit: A) Negotium initum fuisse validum, idque modo ope restitutionis in integrum rescindendum. Negotium enim inualidum ipso iure nullum esset, neque restitutionis auxilii, neque *controuersiae de eo faciendae* indigeret a). B) Opus est iuramento corporali, solemnique b). C) Requiritur denique periurium et perfidia minoris. Sed modo is est periurus, qui sciens fallit c). Ergo legislator non minorem iuramentum obstringit, qui postea laesionem animaduverteret, sed modo malitiose iuramentum, qui iuramento contrahenti alteri insidias struere cuperet. Simulque his praecautum est, ne laedatur minor, neque perfidus periurusque euadat d).

## §. XIX.

a) VOET *Comm. ad ff. tit. de minor. §. XLVII.*

b) Ill. QVISTORF *von eydlich gegebenen Versprechen und Verzichtleistung- gen der Minderjährigen, in dess. Beyträgen, Band I. St. II. n. VIII.*

c) l. 26. ff. de iureiur.

d) Simile exemplum de obligatione minoris periuri et perfidi inuenimus in l. 3. C. si min. se maj. dix.

C



## §. XIX.

b) *Secundum auth. sacramenta Puberum.*

Haec fuit etiam sententia Bulgari, ICTI, aeuo FRIDERICI I. Imperatoris, clarissimi, de hac lege, quam contra Martinum aulicum pontificiis iam contaminatum argutiis, acerrime defendit. Martinus enim hanc legem extensius interpretatus est, ita vt qualescumque minorum contractus iuramento confirmatos, validos declarauerit. Compromittebatur ad Imperatorem. Sed aulici blanditiae vicerunt omnia, quae sana ratio, salus reipublicae et Bulgarus contradicere potuerunt. Lata fuit notissima illa constitutio, quae in *auth. sacramenta puberum a)*, tristem memoriam prudentiae legislatoriae principis Hierarchiae Romanae peruersae, nobis tradit *b)*. Neque audeo, vlllo modo contentum huius authenticae acutissimis distinctionibus carpere, ne oleum et operam perdam, et innumeram huius legis interpretum gregem augeam *c)*. In aprico est, hanc constitutionem omnibus, quae in commodum minorum lata sunt, paucis exceptis, derogare. Consultissimum ergo est, totam legem, falsis principis enatam, reique publicae nociuam, earum numero adscribere, quas iam (§. IX.) reiecimus *d)*.

## §. XX.

- a)* *Auth. sacramenta puberum C. si adv. vend.* Constitutionem etiam inuenies 2. *Feud.* 53.  
*b)* Historiam huius authenticae pluribus recenset *AYERER l. c. §. XLVI.*  
*c)* Vide plures allegatos apud *QVISTORF.* cit.  
*d)* Iam multa adsunt exempla de hac lege sapientissimis constitutionibus aboleta. *AYERER c. l. §. XLVI. VOET c. l. §. XLVIII.* Inter plures constitutiones, academiatarum Germaniae, quae iam idem respectu



## §. XX.

*De iuratis renunciationibus feminarum  
illustrium pp.*

Cum iam in eo fui, vt huic doctrinae calcem addam, adhuc supererat, de iuratis renunciationibus feminarum illustrium et nobilium, quoad successionem in bonis autis et fideicommissis familiae differere; sed iam de SENKENBERG a), et III. PÜTTER b) falsa principia, quibus doctrina nititur, excusserunt, ita, vt iusto nimis vagum superfluumque crederem, his aliquid addere.

## §. XXI.

*Obiectiones duae,  
Obiectio prima.*

Haec sunt, quae de effectu iuramenti promissorii renunciationibus beneficiorum adiecti exarare volui. Nihil mihi amplius superest, quam duabus obiectionibus obuiam ire,

1) Dubitaretur forsitan, an, iuramento vi destituto, periurio resistendum sit? Sed heic ius Romanum enixe me adiuuat, praecleara

respectu Studioforum praeceperunt, allego praestantissimam academiae Goettingensis, vide *Beylagen zu den Goettingischen academischen Gesetzen, Beylage VIII. IX.* vt et *neue Erläuterung des Credit-Edicts de anno 1786. §. 2.* Respectu academiae Rostochiensis; *Credit-Edict de anno 1788. §. 3.*

a) De successione feminarum in regnis et principatibus.

b) De iure feminarum, aspirandi ad fideicommissa familiae et de eorum renunciatione adj. *Eiusd. I. P. P. n. I. Eiusd. Beyträge zum reusschen Staats- und Fürsten-Recht, P. II, n. XXXVIII.*



clara illa lege, l. 41. C. de transact. iam (S. III. d.) a me relata, atque interpretata. Perius poenam luat, sed obligatio ex iuramento ipso iure annihilatur, tunc mox iuramenta actibus privatis evanescent, periuriumque rarius videbimus.

§. XXII.

Obiectio II da.

Obiciatur porro, iustum securitatis auxilium deficere, si iuramenta auctoritate careant. Sed iustissimum atque optimum subsidium ad firmandum pactum a iure communi remotum, est auctoritas iudicis. Si vxor pro marito fideiubere, filiusfamilias mutuum contrahere, minorque alienare cupit, exploret iudex, num casu substrato exceptio a regula fieri possit. Si ille, praeuia causae cognitione, pactum vel confirmat, vel annihilat, de republica melius se meritum faciet, quam si minorem quemque iurantem, impiis foeneratoris manibus tradit.\*)

\*) Iam exempla adfunt, haec principia ansam praestantissimarum constitutionum dedisse. Vid. sententiam in *Corpore iuris Fridericiano*, Lib. I. von der *Proceßordnung*, Berol. 1781. Praef. p. XVI. atque constitutionem in terris Holfaticis apud WEBER c. l. §. 123.





ULB Halle  
004 517 601

3



TA → OL f  
nur 1+8 verknüpft



